

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# **BOLLETTINO**

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0325

Sabato 02.06.2012

Pubblicazione: Immediata

Sommario:

◆ **LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO PER LA CELEBRAZIONE DEL 50° CONGRESSO EUCARISTICO INTERNAZIONALE (DUBLINO, 10-17 GIUGNO 2012)**

◆ **LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO PER LA CELEBRAZIONE DEL 50° CONGRESSO EUCARISTICO INTERNAZIONALE (DUBLINO, 10-17 GIUGNO 2012)**

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO PER LA CELEBRAZIONE DEL 50° CONGRESSO EUCARISTICO INTERNAZIONALE (DUBLINO, 10-17 GIUGNO 2012)

Il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Marc Ouellet, P.S.S., Legato Pontificio per la celebrazione del 50° Congresso Eucaristico Internazionale, in programma a Dublino (Irlanda), dal 10 al 17 giugno corrente.

La Missione che accompagnerà l'Em.mo Card. Marc Ouellet è composta da:

- Don Gearóid Dullea, Segretario Esecutivo della Conferenza Episcopale Irlandese;
- Mons. Ciarán O'Carroll, Rettore del Pontificio Collegio Irlandese a Roma;
- Mons. Samuele Sangalli, Ufficiale della Congregazione per i Vescovi.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Legato Pontificio:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro  
MARCO S.R.E. Cardinali OUELLET, P.S.S.  
Congregationis pro Episcopis Praefecto

Ubique terrarum cunctas apud Ecclesias Domini Corporis sacrosanctum mysterium conspicuum usque obtinere locum novimus. Ex eucharistico enim sacramento, salienti quasi e fonte spiritalis salubritas beneficiorumque Salvatoris copia largiter manant ac defluunt. Fideles autem ad caeleste convivium accedentes, supernis praesidiis fulciuntur ac sua item opera in cotidianis officiis sustinendis fortius studiosiusque agere valent.

Provido nempe de consilio scimus quinquagesimum Congressum Internationalem Eucharisticum Dublini diebus X-XVII mensis Iunii futurum. Praestanti hoc compulsos eventum, credentes turmatim adfuturos arbitramur, Corporis et Sanguinis Christi mysterium ut pientissime, quemadmodum decet, venerentur atque renovationis vires augeant.

Cupimus et Nos pietatis hae testificationes ut confirmentur et fides roboretur, quo latius pleniusque Domini hodierni homines fruuntur salute et ipsi hoc divino de Sacramento uberrimos capiant fructus. Sacrum namque hoc convivium multum affert efficacitatis et ad maiora patrandam usque animum addit. Itaque ut celebratio haec clarius peragatur et adspectabilius, congrua iustaque petente venerabili Fratre Diarmuid Martin Archiepiscopo Metropolita Dublinensi, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus, utpote cum eventus ille ad tuum adiumentum quoque aggregetur. Ideo praestabilis visus es ad personam Nostram illic sustinendam. Quapropter fraternam tibi benevolentiam declarantes, te **Missum Extraordinarium Nostrum** constituimus et nominamus ad Congressum Internationalem Eucharisticum Dublini celebrandum.

Verba tandem Nostra transmittenda curabis et cohortationem ad Eucharistiae vehementiorem cultum ac simul omnibus participibus benevolentiam Nostram significabis. Caelesti dape relecti exoptamus ut fideles feliciorem aetatem spiritalemque prosperitatem consequantur. Haec cuncta Benedictione Nostra Apostolica confirmamus, quam Nostra auctoritate ac nomine omnibus participibus largiaris copiose volumus, superna nuntiaturam adiumenta ac robora.

Ex Aedibus Vaticanis die XIV mensis Maii, anno MMXII, Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP. XVI

[00771-07.01] [Testo originale: Latino]

[B0325-XX.01]

---